



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

VI. Secundum argumentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

Septuaginta Senibus, aliisve cuiusvis ætatis interpretibus cognoscere promptum est. Vix ulla autem Scriptoris hujus posterior ætas servavit vestigia. Unum hoc apud Habacucum & Ezechielem nanciscor, quod extat tertio Nahumi capite: *Va civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena: non recedet à te rapina.* Ad id quippe videtur excusum hoc Habacuci: *Va qui edificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.* Multo magis etiam istud Ezechielis: *Va civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam pyram.* Incertum autem habeo, an à Nahumo Ifaias, an ab Ifaia Nahumus hæc sumserit: *Ece super montes pedes evangelizantis & annuntiantis pacem: celebra, Juda, fertilitates tuas, & redde vota tua:* utrumque enim docui vaticinia hæc Ezechie tempore scripsisse.

V. Diximus Sennacheribi, Assyriorumque interitum prædictum fuisse primo capite Nahumi; at postremis duobus illatas Ninivitis per Cyaxarem & Nabuchodonosorem clades: quam sententiam Hieronymi suffragio tutati sumus. Verum supposititii Epiphanius & Dorotheus aliorum vaticinationes illas detorqueant, præsignificasse quippe Nahumum volunt, futurum ut exundante aqua, & ignibus erumpentibus Ninive subvertatur, atque id evenisse, motu quippe terræ stagnum, quo cingitur civitas, ripas supergressum loca vicina, urbemque adeo ipsam submersisse, cum interea flamma aliunde effervescentes eam depalceret. Nempe hæc ad verbum interpretati sunt: *Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt, & contremuit terra à facie ejus.* Deinde: *Indignatio ejus effusa est ut ignis, & porta dissoluta sunt ab eo.* Tum: *In diluvio pretereunte consumptionem faciet loci ejus.* Et alibi etiam: *Porte fluviorum aperte sunt, & templum dirutum.* Paulopost: *Ninive, quasi piscina aquarum aque ejus.* Præterea: *Succendam usque ad fumum quadrigas tuas.* Rursum: *Devorabit ignis vestes tuas.* Verum quid istis fiet, quæ ibidem leguntur: *Miles captivus abductus est, & ancille ejus minabantur gementes ut columbe, murmurantes in cordibus suis: & istis: Vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadriga frementis, & equitis ascendentis, & micantis gladii, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ: & his quoque: *Ece populus tuus mulieres in medio tui: inimicis tuis adaperitione pandentur porte terræ tuæ, devorabit ignis vestes tuas. Aquam propter obsidionem hauri tibi, exstrue munitiones tuas, intra in lutum & calca, subigens tene laterem. Ibi comedet te ignis, peribis gladio.* Quæ manifesto declarant bello domitam & dirutam fuisse Niniven, & militum copiis, non aquis inundatam, & flagnis hostilibus, non naturæ vi ingruentibus absuntam; quod neque consentit cum fide historiae, neque cum Ninives ipsius situ, quæ stagno haudquaquam circumfusa fuit. Artendissent autem Epiphanius ille & Dorotheus, quam sæpe exotici & sacri Scriptores, ac potissimum Prophetæ, ad bellicas clades exprimentas, hujusmodi translationibus ex incendiorum & exundationum impetu accessitis utantur.*

VI. Leve quoque est argumentum, quod ex Theodreti verbis erui potest, quibus asseverat post interfectum à liberis Sennacheribum, imperium ad Chaldaeos paulopost transiisse, & regum illorum genus extinctum fuisse. Hæc enim aperte pugnant cum historia à sacris Auctoribus tradita, cujus fides non ad manifestas halucinationes exigenda est, sed hæc contra ex illa convincendæ. Certam quippe est Sennacheribo successisse Asarhaddonum filium, ut docet postremus liber Regum; huic Saosduchium, quem excepit Cineladanus: quod cognoscitur ex Canone Mathematico Regum Babyloniorum, quem repræsentat Georgius Syncellus. Imperium autem Assyriorum à Chaldeis excisum non est ante Nabuchodonosorem, qui æqualis Joaximi fuit. Itaque à Sennacheribi obitu ad dirutam à Chaldaeis Niniven, anni intercedunt circiter centum & viginti. Castigandus hic ergo Theodoretus; multo etiam magis Cyrillus, qui à Nahumo prædici censet eam Ninives expugnationem, quæ auctore Cyro facta est; Niniven haud dubie cum Babylone confundens, quam Cyrus ditioni suæ subjecit.

Nahumi
2. 11. &
antiquitas.
Eccl. 49. 12.
Nahum, 3. 1.
Hab. 2. 11.
Ezech. 24. 9.
Nah. 1. 14.
Isa. 52. 7.

Refelluntur
argumenta
Adversario-
rum.
Primum ar-
gumentum.
Epiph. & Dor.
De vit. Proph.
Nah. 1. 5, 6, 8.
Nah. 2. 6, 8,
11.
Nah. 3. 13.
Nah. 2. 7.
Nah. 3. 2, 3.
Nah. 3. 13, 14.

Secundum
argumentum.
Theod.
Proem. in
Nah.
4. Reg. 19. 37.
Cyrill. Pref. in
Nah.

